Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

salutem. Quia etsi sine his salus haberi potuit, proficiunt tamen ad sanctificationem. Quia in his utiliter exercemur, et gratiam amplius acquirimus, ut aqua aspersionis, et susceptio cinerum, et similia. Sunt rursus alia sacramenta, quae ad hoc solum instituta esse videntur, ut per ipsa ea quae circa sacramenta sanctificanda et instituenda necessaria sunt quodammodo praeparentur et sanctificentur, vel circa personas in sacris ordinibus perficiendas, vel in his quae ad habitum sacrorum ordinum pertinent initiandis, et ceteris huiusmodi. Prima ergo ad salutem; secunda ad exercitationem; tertia ad praeparationem constituta sunt. His ergo prout ratio postulare videbatur praelibatis, ad ea quae restant explicanda transimus. VIII.

De tribus quae sunt ad salutem.

Tria sane sunt quae ab initio sive ante adventum, sive post, ad salutem obtinendam necessaria fuerunt, id est fides, et sacramenta fidei, et opera bona. Quae tamen ita cohaerent, ut salutis effectum habere non possint, si simul non fuerint. Fides enim sine operibus teste Scriptura mortua est. Et rursum ubi fides non est, bonum opus esse non potest. Item: Qui fidem operantem habent, si sacramenta Dei recipere renuunt, salvari non possunt, quia dilectionem Dei non habent, cuius praecepta in sacramentis eius contempnunt. Ubi tamen vera fides cum dilectione est, sicut non imminuitur meritum, etsi opus quod in voto proposito devotionis est, extra non perficitur: sic salutis effectus non impeditur, etsi sacramentum quod in vera voluntate et desiderio est, articulo necessitatis excluditur. Ubi autem tamen simul haberi possunt, sine periculo salutis nullatenus abesse possunt. Quia nec fides meritum habet, si dum operari potest negligit: nec opus bonum est aliquid, si sine fide sit. Et rursus fides operans hominem sanctificare non sufficit, si eam quae in sacramentis Dei constat sanctificationem suscipere contempnit. Tria ergo simul sunt: fides, sacramentum, et opus. In fide christiana fortitudo tribuitur; in sacramentis arma; in operibus vero bonis tela contra diabolum pugnaturo. Incipit pars decima.

De fide vii. esse inquirenda. I.

De fide tractare volentibus vii. inquirenda proponimus. Quid sit fides. In quo constet fides. De incremento fidei. De his quae pertinent ad fidem. Si ab initio per mutationem temporum mutata sit fides credentium. Quid sit quo minus nichil umquam vera fides habere potuit. De sacramento fidei et virtute ipsius. Singula ordine suo prosequamur. Quid fides sit. II.

Fides est ut ait apostolus substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium. Si per fidem ea quae creduntur, fide significata intelligimus, sic per visionem non numquam non eam qua videmus, sed quod videmus accipimus. Convenienter fides substantia rerum sperandarum dicitur: quia fide ea quae vere subsistunt bona sperantibus exspectantibus illa ventura creduntur. Secundum quam acceptionem non irrationabiliter et argumentum non apparentium dicitur: quia quae ratione humana non comprehendimus, sola fide nobis credibilia esse et vera persuademus. Quod si hanc diffinitionem alio modo exponimus, possumus dicere quia fides non in eo quid sit, sed quid faciat diffinitur, ut sit sensus: fides est substantia, id est subsistentia rerum sperandarum